

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6585

Autre(s) référence(s) : Bates 275 / Round 1424

Auteur(s) : Geoffroy de Sablé [particulier]

Bénéficiaire(s) : Solesmes, Saint-Pierre (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1073, 30 mars

Lieu d'émission : Bonneville-sur-Touques

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Geoffroy de Saibl e donne l' glise de Solesmes et quelques terres   l'abbaye Saint-Pierre-de-la-Couture. L'acte est confirm e par le comte Hugues [III] du Maine lors de la d dicace de l' glise Saint-Pierre de Solesmes ensuite par le roi Guillaume [Ier] d'Angleterre.

Tableau de la tradition

 ditions principales

- a. B n dictins de Solesmes, *Cartulaire des abbayes de Saint-Pierre de La Couture et de Saint-Pierre de Solesmes*, Le Mans, Monnoyer, 1881, n  VIII.
- b. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n  275, p. 828-830.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n  1424. Latouche Robert, *Histoire du Comt  du Maine pendant le Xe et le XIe si cle*, Paris, H. Champion, 1910, p. 147, n  38. Cronne Henry Alfred, Davis Ralph Henry Carless, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol. 3, Regesta Regis Stephani ac Mathildis Imperatricis ac Gaufridi et Henrici, Ducum Normannorum, 1135-1154, Oxford, Clarendon Press, 1968, n  67.

Dissertation critique

Date de la confirmation du roi Guillaume Ier.

Texte  tabli d'apr s b

Dum in hac vita sumus, et in hoc corpore positi bene operandi facultatem habemus, necesse est ut aliquid de nostris rebus Deo commictamus, quod ipso in futuro cum gaudio recipiamus. Ego itaque in Dei nomine, Gausfridus de Sablolo, pro redemptione anime mee et omnium parentum meorum, qui ante me fuerunt, et qui post me futuri sunt, do Deo et cenobio beati Petri qui dicitur de Cultura et monachis inibi Domino servientibus ecclesiam de Solemnis iuxta castrum Sabloli super alveum Sarte sitam, cum omnibus appendiciis, terris cultis et incultis, pratis, vineis

ac molendinis, subtus monasterium sancti Petri in alveo Sarte positus. Do etiam pertinentes ad hunc locum alios duos viculos, quorum unus Cantusmerule et alter vocatur Rochatellus. Do quoque et alium quendam vicum nomine Meleriicum et aliudum Bussee, cum omnibus inibi pertinentibus et cum licentia amplificandi in silvam. Do etiam vicum qui vocatur Vilerias cum omnibus appendentiis, quem a dominio meo Hugone Cenomanensi comite servitio atque munere acquisivi. Concedo insuper partem Buxedi cuiusdem viculi cum vicaria et ceteris consuetudinibus, illam partem scilicet quam possidebat Primaldus, vir Deo devotus, qui reliquit seculum et secutus est Deum. Do etiam omnem sepulturam castri Sabloli. Indulgeo quoque pro Dei amore consuetudinem custodie castri. Dono etiam et alodium quod dicitur Brenerias, quod est situm ultra Medane fluvium. Hec omnia supradicta do et concedo ita honorifice sicut ego teneo. Et de omnibus istis terris et vicis omnes dimicto consuetudines, scilicet vicarie, foreste, venationis, banni, carredi, et ut amplius nequo mei vicarii, neque forestarii vel brenarii, sive canes in his iaceant terris.

In dedicatione autem supradicte ecclesie sancti Petri de Solemis, ego Gausfridus de Sablolio obtuli hanc cartam Hugoni Cenomanensi comiti ad confirmandam, qui rogatu meo ad consecrationem ecclesie convenerat, qui petitioni mee libenter assensum prebens auctoritate sua, presente Avesgaudo Cenomanensi episcopo et Huberto Andegavensi, signum crucis imponendo confirmavit. Avesgaudus quoque Cenomannensis episcopus et Hubertus Andegavensis, me rogante, auctoritate et potestate episcopali, presentam cartam confirmaverunt atque corroboraverunt. Necnon et ego Gausfridus de Sablolio qui hoc donum feci, et Adeleis uxor mea, et filius noster Drogo, hanc cartam confirmavimus. Si quis autem ex heredibus nostris propinquus vel extraneus, diabolica facta suasionem, hanc donationis nostre cartam legitime factam imminuere vel infringere voluerit, auctoritate Dei patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti, et sancte Marie matris Domini, et sancti Michaelis archangeli omniumque celestium sacerdotum, diachonorum, subdiachonorum et omnium Christiane religionis virorum sit excommunicatus, anathematizatus, maledictus, et in inferni baratro perpetualiter reclusus, nisi ad satisfactionem venerit, et quod male presumpserit emendaverat. Amen.

Signum Radulphi vicecomitis. Signum Odonis fratris eius. Sign(um) Patrici. S(ignum) Hugonis vicarii. S(ignum) Willermi Trium pilorum. S(ignum) Aimerici. S(ignum) Rainandi iuvenis. S(ignum) Hugonis comitis. Sign(um) Gausfridi de Sablolio. S(ignum) Adelaidis uxoris Gausfridi. S(ignum) Drogonis filii eorum. S(ignum) Rainandi vasselli. S(ignum) Avesgaudi Cenomanen(sis) episcopi. S(ignum) Huberti Andegaven(sis) episcopi. S(ignum) Ingelbaldi abbatis. S(ignum) Roberti grammatici. S(ignum) Wuarnii, hec dictantis et scribentis. S(ignum) Wuarnerii monachi. S(ignum) Rainberti monachi.

Anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo tertio, iii kalendas Aprilis, petitione Raynaldi abbatis, roborata est hec carta a Willermo rege Anglorum apud Bonam villam, qui Willermus Cenomannensis civitatis tunc principatum tenebat.

Signum Willermi regis Anglorum. Hec sunt nomina baronum qui cum eo erant : Gausfridus Lisiardi filius, Gauterius miles, Orricus prepositus, Rannulfus filius Hugonis vicarii, Herbertus miles filius Guimberti, Salomon filius Normanni, Patricus.